

» sicut in Genesi legitur, quos videt prorsus impenitentes, ante
» severa ultione castigat, quam prius fuerit comminatus : assidue
» que peccanti et in peccatis perseveranti non miseretur. Cum ita-
» que retroactis temporibus domini Venetorum potentia privile-
» giis indultis atque favoribus, pecuniis etiam Romane sedis sae-
» penumero adjuncta, adeo in immensum excreverit, ut quibuscum-
» que regibus, principibus, ducibus, potentatibus et dominiis totius
» Europae et praecipue matri suae ecclesiae Romanae, a qua be-
» neficia multa suscepit, formidolosa et perniciosa fuerit et sit in
» praesens, quandoquidem leonina pelle assumpta, non solum leo-
» nis more, sed et luporum omnium, quibus proxime accedit, coria
» expilat, nec unquam retro aspicit, sed ejusdem leonis feritate
» vicinos et obvios quosque pessundat et discerpit: fuerintque sae-
» pe a praedecessoribus nostris et nobis duces ejusdem civitatis
» Venetiarum, Rogati, Consilarii et alii ejusdem reipublicae ve-
» netae praesidentes moniti ut a violentia aliis inferenda se absti-
» nerent et a rebus alienis occupandis et praecipue sanctae Ro-
» manae ecclesiae cessarent; illi nihilominus duritiam Pharaonis
» imitati, hujusmodi paterna ac salubria monita surda aure et ex-
» caecata mente nunquam admittere voluerunt, nisi quantum eo-
» rum cupiditas et dominandi libido effraenata aut nonnunquam
» necessitas eis suadebat. Sic factum ab eis novimus (ut de alio-
» rum regum et principum injuriis, oppressionibus ac damnis ta-
» ceamus) cum Ferrariam sanctae Romanae ecclesiae civitatem
» temporibus felicitatis recordationis Clementis quinti praedecessoris
» nostri occuparunt, donec per omnes censuras, interdicta et diffi-
» dationes illam sanctae Romanae ecclesiae dimittere coacti fue-
» runt. Et quoniam eorum cor non plene poenitens fuerat, eam-
» dem civitatem Ferrariensem sedente in hac sancta Sede fel-
» record. Sixto papa quarto etiam praedecessore et patruo nostro
» maximis conatibus occupare contenderunt, et proculdubio occu-
» passent, nisi praefati pontificis et aliorum Italiae regum et domi-
» norum auctoritas ac potentia illis obstitisset. Sic factum ab eis